

claustrum juxta expressam vel tacitam conventionem præcedentem, quia hoc manifeste est contra intentionem Concilii. Unde nihil aliud est quam consummare delictum contra prohibitionem Concilii. Propter hujusmodi autem delictum nulla pœna imponitur a Concilio; non tamen propterea causa gravis non est, nam materia est gravissima, et verba Concilii satis etiam rigorosa sunt.

10. Addit vero Navarrus, Comment. 4, de Regular., n. 12, Concilium in hac parte non videri novum jus inducere, sed antiquum declarare; antiquum autem vocare videtur ipsum jus naturale et divinum, quod hujusmodi transitum ea intentione factum videtur reprobare, quia nullum jus scriptum invenitur prius circa hunc casum conditum. Unde, quia ille modus transeundi non est per se ita intrinsece malus, quin possit ex aliqua magna necessitate honestari, concludit Navarrus, si nunc occurrat casus in quo ex natura rei licite posset fieri talis receptio propter illum finem, etiam nunc posse fieri, non obstante Concilio, quia non est verisimile, voluisse Concilium prohibere receptionem alias justam, in eo casu, in quo potest esse ad remedium alicujus religiosi necessaria.

11. Hæc interpretatio Navarri pia est; non possumus tamen adhærere illi, quia magis pius est præcepta servare, et lex Concilii non est tantum declarativa juris naturalis, sed etiam dispositiva, et constitutiva novi juris, ut constat ex verbo illo *possit*; si enim tantum declarare intenderat, diceret *nemo posset*, etc. Quia vero novam prohibitionem imponit, dicit *nemo possit*. Cujus etiam signum est, quia si ex natura rei tantum loquimur, sæpiissime illud fieri posset sine peccato, saltem mortali, quando existentia extra claustrum futura esset ad determinatum locum, et opus religioso dignum, et ex parte personæ sine morali periculo, etc. Non potest autem dici in omnibus illis casibus nunc etiam hoc licere, non obstante Concilio, quia est contra tenorem verborum ejus, et contra disciplinam religiosam, quam reformare intendit, unde nec Navarrus id admittit, nisi in raro casu. Neque est verum illam legem latam esse ex præsumptione, et ideo non obligare ubi cessat præsumptio. Nam aliud est motivum legis, aliud præsumptio. Concilium autem motum est ad eam legem forendam, ex eo quod ex facilitate dandi licentiam ad permanendum extra claustrum sumi solet occasio vagandi, ut in principio dicit; hæc autem non est præsumptio,

sed certam judicium, ratione cujus fertur generalis et absoluta prohibitio, quæ omnes casus, etiam de se non malos, comprehendit, quia indistincte fertur, et hæc est vis positivæ prohibitionis. Non ergo prohibet omnia, quia præsumat omnia et singula futura fuisse mala, etiamsi non prohiberentur, sed quia illa materia moraliter est nociva et periculosa, id satis est, ut absoluta prohibitio fiat, quia leges morales considerant quod frequentius accidit, ut dicitur in leg. 4, 5 et 6, ff. de Legibus. Quocirca, licet in aliquo casu particulari cesset finis hujus legis, non ideo cessat obligatio ejus, ut constat ex doctrina de legibus, nisi fingatur casus, in quo esset contra charitatem non admittere volentem transferri eo fine et modo. Sed imprimis, licet casus admittatur, solum sequitur per episcopiam cessare obligationem prohibitionis, non vero illam non esse veram legem de novo aliquid prohibentem. Et deinde casus ille vix potest evenire, et multo minus potest esse tam urgentis, quin concedat locum et tempus ad petendam dispensationem.

12. *Secunda prohibitio decreti allati num. 8.* — Altera prohibitio illius decreti est, ut religiosus translatus non possit habere sæcularia beneficia etiam curata, imo, ut sit incapax illorum, unde fit, etiamsi illi dentur, collatio non teneat. Sed advertendum verba Concilii poni eum illo addito, *taliter translatus*, et in eis oriri dubium, an referantur ad verba posita in principio capituli, *de uno ad alium ordinem translatus*, an vero ad eos qui translati fuerint, ut extra claustrum maneat. Quod est querere an hæc sit pœna eorum, qui in posterum translati fuerint contra illam dispositionem Concilii, an vero sit conditio apposita pro omnibus translatis ab uno ordine in alium, quantumcumque licite ac recte facta sit translatio, ita ut illa non sit pœna, sed quasi irregularitas pœnæ adjuncta a Concilio, ad præcedendas occasiones translatis manendi extra claustrum. In qua re dubius ego sum, et ob hoc ipsum dubium videbatur prior sensus præferendus, quia sumus in materia odiosa, quæ restringenda est, et quia si Concilium de omnibus translatis loqui voluisset, non dixisset *taliter translatus*, sed absolute *translatus*.

13. Nihilominus juxta sincerum contextum posterior sensus videtur præferendus; præcipit enim Concilium ut religiosus unius ordinis non admittatur in alio, nisi ut in ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris

obedientia in claustris perpetuo maneat; statim vero subdit, *ac taliter translatus*, etc., ubi manifeste constat, illud *taliter*, referri ad modum recipiendi et transeundi proxime præscriptum; loquitur ergo de translato etiam legitimo modo. Nec propterea superflue addita est particula *taliter*, quia posita est ad augendam et exaggerandam curam, et providentiam quam Concilium adhibuit in hac lege, per quam voluit, ut etiam legitime translati nullo modo possent occasione beneficiorum sæcularium extra claustra manere. Et ideo etiam interposuit illam particulam augmentativam, *etiamsi Canoniorum regularium fuerit*, quia illi maxime videntur capaces horum beneficiorum, ut inde etiam constet nullam in hac prohibitionem admittendam esse exceptionem, etiam positam in præcedenti puncto de ordine Carthusiensi, cujus institutum magis abhorret ab hujusmodi curis, et sæcularibus beneficiis. Voluit ergo Concilium, in hac parte, non solum auferre translatis intentionem manendi extra claustra, sed etiam impedire qualemcumque spem, quam concipere possent de hujusmodi libertate obtinenda, mediis hujusmodi beneficiis, quamvis transitus non esset ad eum finem ordinatus.

14. *Decretum loquitur de transitu ad alium distinctum ordinem.* — Attente autem ponderanda sunt illa verba, *de uno ad alium ordinem translatus*. Nam ex eis plane constat, non habere locum in transitu intra eundem ordinem, etiam si sit mutando filiationem ab uno monasterio in aliud, vel ab una provincia in aliam, ubi hujusmodi filiationes sunt in usu; quia illa non est translatio ab uno ordine in alium, sed ab uno monasterio ad aliud, vel ab una provincia in aliam, et ideo tunc non est necessaria nova professio, sed quædam incorporatio; et transitus fit cum tota antiquitate professionis, et cum aliis prærogativis communibus toti religioni. Unde obiter confirmatur quod supra, numero 11, dixi, legem hanc Concilii non tantum esse declarativam juris naturalis, sed specialem addere prohibitionem; nam si solam rationem spectemus, tam alienum est a vera religione, mutare monasterium ejusdem ordinis, propter finem obtinendi facilius licentiam vivendi extra claustrum, ac mutare ordinem; et nihilominus Concilium hoc specialiter prohibuit inter diversos ordines, et de eodem nihil locutum est, sed hoc reliquit arbitrio et prudentiæ Prælatorum ejusdem

ordinis; nam interdum fortasse potest hoc expedire religioni, cui necessarium est habere religiosum extra claustrum, et non habet in tali monasterio personam accommodatam; tunc ergo alium transferri ex altero monasterio propter hunc finem, ut maneat extra claustrum, non est malum.

15. *An sit distinctus ordo eo ipso quo habet distinctum Generalem.* — Solum potest dubitari an habeat locum hoc decretum Concilii in transitu a familia unius ordinis ad aliam familiam ejusdem ordinis, quando sunt ita divisæ, ut unum caput, seu Generalem communem non habeant, quales sunt familiæ S. Benedicti, aut S. Bernardi in Lusitania, Castella, et Italia, et in Ordine Carmelitarum Mitigati, et Discalceati, et in Ordine S. Francisci, Conventuales, Observantes, et Capucini Hispaniæ. In his enim et similibus est specialis ratio dubitandi, quia, licet propter convenientiam in regula et primo fundatore, censeantur una religio, tamen simpliciter videntur distinctæ, quia unitas religionis est unitas corporis politici, quæ sine uno capite non videtur esse posse. Sed de hac unitate vel distinctione talium religionum dicturi sumus tractatu sequenti; nunc, quod ad præsens attinet, videtur hæc unitas sufficiens, ut hic transitus non censeatur esse ab uno ordine in alium. Quod præcipue videtur clarum, quando pluralitas illa familiarum solum est propter diversitatem nationum aut regnorum; nam hæc diversitas valde materialis est, cum alioquin in fine, et substantialibus mediis, cæremoniis, regula, clausura, et habitu sit conformitas. Convenientia autem in uno capite etiam erat ex vi institutionis inter has familias, et semper remanet aliquod ejus vestigium; quod autem Summus Pontifex exemptionem majorem aut minorem huic vel illi familiæ, et Prælati provincialibus vel nationalibus earum tribuat, non tollit prædictam unitatem; imo, licet singulas cum suis Prælati immediate sibi in omnibus subjiceret, sufficienter in illo unirentur, tanquam in uno supremo Prælate talis religionis, præsertim in ordine ad transitum de quo agimus, in quo magis consideratur unitas, vel distinctio in modo vivendi, et tendendi ad perfectionem, ex vi talis professionis. Et ideo ubi distinctio harum familiarum est etiam in rigore vitæ, et observantia regulæ, et aliquo modo in habitu, magis dubia est dicta resolutio. Nihilominus tamen etiam pro his religionibus censeo esse retinendam, tum quia substantialis

convenientia semper manet; tum maxime quæ verba legum intelligenda sunt juxta communem usum; communiter autem, quælibet ex his religionibus una reputatur, ut tota religio S. Francisci numeratur una ex mendicantibus, et alia religio Carmelitarum; et ideo communiter etiam, qui mutatur ab una familia in aliam, non censetur mutare religionem.

16. *Quid dicendum de asportatione bonorum in hoc transitu.* — Est autem advertendum in hoc transitu intra eandem religionem posse habere locum quæ cap. præced. diximus de bonis temporalibus secum deferendis vel relinquendis; nam, quantum attinet ad religiosum ipsum, idem est fundamentum paupertatis, ut nihil secum deferre possit, nisi quæ ad necessarium usum conceduntur. Quod vero spectat ad ipsa monasteria, potest quidem intra eandem religionem esse major quædam bonorum communicatio, in qua imprimis servanda est regula; deinde honesta consuetudo; postea decens ac prudens liberalitas Prælati, quæ paupertatis et discretæ administrationis limites non excedit. Quando vero tanta est distinctio provinciarum, seu familiarum ejusdem religionis, ut nec convenientiam in uno Generali habeant, nec communes congregationes, seu capitula, tanta solet esse distinctio in temporalibus bonis, quanta inter diversas religiones, et ideo omnia superius dicta in rigore servanda sunt, nisi ubi aliud habuit consuetudo.

17. *An jam legitime translatus possit licentiam ad vivendum extra claustrum.* — Ultimo dubitari potest, an post translationem factam ab una religione ad aliam, legitime, et juxta intentionem Concilii, possit postea Prælatum æquali libertate, seu facultate, seu ex simili ratione dare licentiam translato ad vivendum extra claustrum, sicut cæteris subditis suis. Ratio dubii est, quia si hoc admittimus, nullius utilitatis est providentia Concilii, quod in legibus interpretandis cavendum est. Antecedens patet, quia Concilium cavere voluit, ne hi translati facile obtineant licentiam manendi extra claustrum; et ideo prohibet ne ad hoc recipiantur; si autem eadem facilitate possent hanc licentiam obtinere, qua cæteri, non obstante hac prohibitione Concilii, non consequeretur Concilium quod intendit. Respondetur nihilominus posse Prælatum eodem modo mittere, vel licentiam dare his translatis, ac cæteris, solum facta exceptione, ne illa facultas detur titulo beneficii sæcularis.

Ratio est, quia Concilium hoc non prohibet; seclusa autem prohibitione, nihil est cur hi sint peioris conditionis, aut cur religio minorem potestatem in eos habeat, si fortasse illis extra claustrum indigeat. Antecedens patet, quia Concilium nullam de hac re mentionem fecit, sed solum ne transitus seu recessio fieret ad hunc finem manendi extra claustrum. Item, quia postea Concilium addidit specialem prohibitionem, et incapacitatem beneficiorum sæcularium; solum ergo prohibere voluit ne hoc titulo possent extra claustra manere; ergo, quoad reliqua, commune et antiquum jus integrum reliquit.

18. Nec propter hoc fit inutilis prior Concilii prohibitio, quia per illam solum voluit cavere, ne a principio in ipso transitu, fieret quasi implicitum pactum inter religiosum transeuntem, et religionem ad quam fit transitus, non recipiendi illum ad eum alendum, sed solum quasi ad acquirendum jus in illum, et remittendum seu licentiandum illum, ut extra claustrum vivat, et quærat unde alii possit; nam hinc magna religionum perversio et infamia creari posset. Quæ incommoda non sequuntur ex eo, quod religiosus legitime translatus æque in hoc subsit potestati Prælatorum ac cæteri religiosi. Atque ita sensit etiam Navarrus, dicto Comment. 4, de Regular., n. 21, et 45, ubi alias rationes adducit, quæ in eo videri possunt. Unum vero addit, quod mihi dubium est, scilicet hunc translatum posse esse vicarium Episcopi, nisi obstet Clementina I, de Regularibus, id est, nisi sit translatus a religione mendicante, ad non mendicantem. Censet itaque quoad hoc Concilium nihil obstare, et in hoc dico esse dubium, ex ea parte qua Concilium prohibet hunc translatum habere beneficia sæcularia, etiam curata; nam, licet vicaria Episcopi, in rigore, beneficium non sit, tamen videtur esse quid majus quam ordinarium beneficium curatum, et ratio, quæ Concilium movere potuit, in illa etiam viget. Nihilominus tamen, quia in lege rigorosa proprietati verborum standum est, veram existimo illam Navarri assertionem, de qua plura inferius, in c. 19.

CAPUT XVI.

AD QUID TENEATUR RELIGIOSUS EPISCOPUS FACTUS, QUANTUM AD VOTUM CASTITATIS ET PAUPER-TATIS.

1. *Assumi ad Episcopatum convenienter potest religiosus.* — Non inquiri an hic transi-

tus licitus sit, quia id certum et indubitatum est. Cum enim status Episcoporum perfectior sit quam status religiosorum, sine dubio licitum est ab hoc ad illum ascendere, dummodo debitus modus servetur. Est autem debitus modus, quod et rite electus sit seu provisus, et quod de licentia sui Prælati, et non alias, Episcopatum acceptet, juxta juris dispositionem, in c. *Si religiosus*, et in c. *Quorundam*, de Electione, in 6, quam supra, tom. præced., explicando materiam voti religiosæ obedientiæ, declaravimus, et in tract. 10 aliquid addemus; si ergo in reliquis debitus modus servetur, nihil est in persona religiosa, ex vi status, cur non possit ad Episcopatum assumi. Quia nec jure aliquo positivo id prohibetur, nec ex natura rei sequitur prohibitio aut impedimentum ex vi professionis religiosæ; quin potius cum status religionis sit via ad perfectionem, et status Episcopalis sit quasi terminus, seu existentia in statu perfectionis, videtur, quantum est ex hoc capite, valde proportionatus ascensus a religione ad Episcopatum.

2. *An ei liceat id appetere.* — An vero liceat religioso desiderare vel procurare hunc ascensum ad Episcopatum, dicemus alibi in 6 tom. tertiæ partis, si Deus dederit; interim videri possunt quos late refert Henriquez, lib. 10, c. 32, n. 3, in Commen.; Salmeron, et expositores in illud 1 Tim. 3, *qui Episcopatum desiderat*, etc. Nam illa quæstio non est propria de religiosis, ut existimo; nec enim placet quod quidam dicunt, habere hoc desiderium specialem malitiam in persona religiosa, propter stabilitatem, quam in suo statu habere debet, quod insinuat S. Bonaventura in expositione regulæ, c. 2, post medium, tractans specialiter de suis religiosis. Sed ascensus ad Episcopatum non est contra stabilitatem religionis, tum quia ille status secundum se perfectior est; tum etiam quia Episcopatus non destruit statum religiosum, ut statim dicemus. Nec S. Bonaventura ex illo capite damnat hoc desiderium, sed quatenus ex ambitione, et ex affectu fugiendi religiosam humilitatem et austeritatem oritur, quomodo etiam in non religioso erit damnabile, si ex illis vel similibus motivis oriatur. Ex objecto igitur et per se non habet illud desiderium majorem malitiam in religioso quam in cæteris; quamvis fortasse intra latitudinem perfectionis, majori quadam obligatione teneatur religiosus cavere hoc desiderium, quam sæcularis. An vero liceat

etiam voto se obligare ad non acceptandum Episcopatum, dicemus infra, tractando de Societate, in lib. 6, cap. 7 et 8.

3. *Arguitur religiosum factum Episcopum non manere religiosum.* — Difficultas ergo est, an religiosus factus Episcopus desinat esse religiosus; quod si non desinit, quas religiosi obligationes, et quomodo implere teneatur. Videtur enim non manere religiosus, quia non potest esse religiosus, nisi alicujus religionis; sed ille nullius religionis religiosus manet; ergo religiosus non est. Probatur minor, quia si alicujus esset, maxime illius cujus antea erat; sed non illius; ergo nullius. Probatur minor. Primo, quia omnino disjungitur a tali religione, ita ut non maneat membrum ejus, nec teneatur legibus ejus, nec comprehendatur (ut sic dicam) appellatione ejus; item non tenetur obedire Prælati ejus; item si aliquid acquirit, jam non illi acquirit; ergo non habet moralem unionem cum illa; ergo, etc.

4. *Prima assertio generalis.* — Nihilominus certum est religiosum, cum fit Episcopus, non amittere substantialem statum religiosi. Ita docet D. Thomas 2. 2, quæst. 185, art. 8, et est communis omnium sententia, quos statim referemus, et sumitur ex glossa in c. 3, 16, quæst. 1, et in c. unico, 18, quæst. 1. Citat D. Thom. decretum Innocentii I, in Epistola 2, c. 10, quod refertur 16, quæstione prima, c. 3, de Monachis, qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordinem pervenerint, non debere eos a priore proposito deviare. Nam sub clericatus ordine Episcopatum etiam comprehendit, et D. Thomas ibi supponit, et omnes pro comperto habent, et ex ratione, quæ in ipsa Epistola subjungitur, optime colligitur, scilicet, *Quia sicut in monasterio fuit, et quod diu servavit, id in meliori gradu positus amittere non debet.* Et huc etiam tendit ratio D. Thomæ, quia status religiosus comparatur ad Episcopatum, sicut dispositio ad perfectionem, vel sicut disciplina ad magisterium. Dispositio autem non tollitur adveniente perfectione, quoad id in quo illi non repugnat, sed potius congruit, imo simul manet, et magis confirmatur; ergo nec status religiosus tollitur adveniente Episcopatu. Probatur consequentia, quia religiosus status, quoad substantiam suam, non repugnat cum statu Episcopali. Et quia in hoc ultimo consistit tota vis hujus rationis, et intelligentia assertionis, ac sequentium capitulum resolutio, ideo sigillatim discurrendo per